



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Speculum Approbandorum Bipartitum**

**Unczovsky, Marianus**

**Coloniæ Agrippinæ, 1693**

Quæstio XXII. An Confessio Sacramentalis debeat esse integra?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37308**

**QUÆSTIO XXII.**

*An Confessio Sacramentalis debeat  
esse integra?*

*Vicar.* **Q**uo jure est necessaria integritas Confessionis?

*Sac.* Non solum Ecclesiasticò, sed etiam Divinò, prout expresse docet Concil. Trid. Sess. 14. c. 5.

*V.* Ergo tenetur Pœnitens de Jure Divino explicare omnia peccata,

*S.* Ità est, qui enim juxta citatum Concil. secus faciunt, & scienter aliqua retinent, nihil Divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt.

*V.* Quæ autè integritas est necessaria?

*S.* Per se & ordinariè loquendo integritas materialis, id est omnium peccatorum mortalium post debitam inquisitionem memoriæ occurrentium enarratio, tam quoad speciem, quàm quoad numerum &c.

*V.* Adverto hanc integritatem se tenere ex parte materiæ remotæ, datur ergo



ergo etiam alia se tenens ex parte materiae proximæ.

S. Datur, & vocatur integritas formalis, estq; illa, quæ præcisè exprimuntur ea peccata, quæ conscientia dicitur hic & nunc esse exprimenda: sive consistit in eo, quod dolor de peccatis sit universalis, ita ut se extendat ad omnia peccata mortalia, tam explicata, quam non explicata, sive ex oblivione inculpabili, sive ex alia rationabili causa.

U. Hæccinè integritas formalis est semper necessaria pro validitate Sacramenti?

S. Semper, quia dolor de omnibus peccatis mortalibus semper est necessarius, alioquin non erit verus dolor & vera pœnitentia, siquidem verus dolor ad hoc Sacramentum requisitus se extendere debet ad omnia præfata delicta.

U. Sic absq; dubio dolorem de omnibus peccatis esse debere affirmas, ut etiam

N 3 tiam



tiam concedas posse aliquando ministrari Sacramentum Pœnit. non explicatis omnibus peccatis.

S. Concedo, & adverto præceptum Divinum de integritate confessionis esse morale, & obligare solum tunc, quando morali modò adimpleri potest *Suar. Disp. 23. de pœnit.* cùm autem in præfenti materia necesse sit respicere necessitatem, aut etiam impossibilitatem moralem, observo in moralibus, quod est valde difficile habendum esse pro impossibili. *L. continuis S. cùm quuff. de verbor. obligat.*

U. Quo pacto autem ad integritatem confessionis inducendus est Pœnitens?

S. Per remotionem impedimentorum.

U. Quorum?

S. Negligentiæ in examinanda conscientia, verecundiæ, timoris pœnitentiæ, metûs restitutionis faciendæ, pertinaciæ & obstinationis in odio erga inimicum concepto, vanè ac imprudenter concepti timoris infamiæ apud



pu<sup>d</sup> Confessarium incurrendæ, diffi-  
dentia &c.

*V.* Ostendatur modus removendi sin-  
gula?

*S.* Impedimentum negligentia<sup>e</sup> remo-  
verem ostendēdo necessitatem majoris  
inquisitionis & discussionis conscientia<sup>e</sup>  
& quā noxia sit in præsentī nego-  
tio salutis negligentia, utpote quæ ob-  
stat, nè peccata dimittantur: vere-  
cundia<sup>e</sup> impedimentum proffigarem  
benignè agendo, Divinamq; Miseri-  
cordiam repræsentando, monendo  
præterea multa ab alijs scædiora scele-  
ra fuisse resolutè narrata, neq; inter-  
mitterem adducere casus infelices, qui  
obvenerunt integrè confiteri nolenti-  
bus ob verecundiam: timorem pœni-  
tentia<sup>e</sup> rejicerem levem imponendo,  
ac spondendo me partem illius adim-  
pleturum, item exaggerando longè a-  
cerbiora tormenta inferni, vel purga-  
torij, reliqua deniq; per bona consilia  
& monita ( quorum copiam scio me  
debere habere ) fugare. *V.* Quid



*V.* Quid si Confessarius certò sciret Pœnitentem esse in statu peccati mortalis, ipse verò de eo non se accusaret?  
*S.* Tenetur interrogare, quod si neget non debet eum absolvere, Alloza de obligat. Confess. Sect. 13. pag. 123.

### QUÆSTIO XXIII

*Proponuntur & resolvuntur casus, in quibus Pœnitens excusatur ab integritate materiali Confessionis.*

*Vicar.* **S**It casus quòd Pœnitens repêriatur in tali statu, ut, si confessionem continuet, periculum immineat nè interim sinè absolutione moriatur.

*S.* Tunc Confessarius debet monere Pœnitentem ut aliqua delicta exponat, illiq; absolutionem impendere, ac postea, si tempus supersit, audire reliqua peccata, & ratio est: quia tunc præceptum integritatis cessat, & urget præceptum charitatis citò succurrendi,